VIRO
Spectatissimo & Doctissimo
DOMINO
NATHANAELI GOTTLIEB GNOSPIO
Suburbani Collegii Scabinalis Assessori
Dignissimo,
Patrono suo vere Munifico ætatem colendo,
NOMINALIA SUA
Nonis scilicet Septembris
Anno cIↄ Iↄ ccxviii.
ea, qua decet, Solennitate celebranti
votis religiosissimis
felicia quævis adprecari,
Debitamque Pietatem ac Observantiam,
tanquam grati animi tesseram
Carmine qualicunque, Elegiaco
attestari
voluit, debuit
Cliens subjectissimus
HENRICUS REICHELIUS.



HORUNII, impressit Joh. Nicolai, NOB. SENAT. & GYMNASII Typographus

* * *

EGregia magnos extollere laude Patronos,
Tempore nos qvovis fas pietasque jubet.
Præcipue vero, gratæ quo certa clienti
Testandæ mentis scilicet ansa datur.
Nam Mæcenates veluti benefacta decorant;
Sic ornat nosmet gratia nostra decens.
Ista diu mecum reputando, Nominis, euge!
Sese mî præsens obtulit hicce dies,
Sidere felici quo rursus *Festa* benigni,
Anno transacto, NATHANAELIS eunt.
Quove Tuas laudes cantarem carmine quamvis
Exili (melius nam mea *Musa* negat.)
Attamen, ut spero, TE digno, voceque grata
*D*ona celebrarem, MAGNE PATRONE, tua.
Vnde sed incipiam, mens in contraria fertur,
*A*c dubius, credas, hæreo totus ego.
Sic benefacta, mihi pridem collata (fatendum,)
*I*ndigno quamvis, me cumulâre tua.
Singula quæ quodsi vellem percurrere, totus
Deficeret vere me modo, crede, dies.
Expediam vero hoc brevibus: nam tempus id urget,
Dum nimium quodvis vertitur in vitium.
Multaque, Rhetoribus veluti mos, dicere paucis
*A*nnitar, dictis annue, quæso, meis.
*A*ltera TV manans es summi e vertice montis
Quæ præbet largam vena perennis aqvam.
TV vel in immeritum tua dulcia dona tulisti,
Quæ, taceo, meritos munera magna manent?
Hinc Honor & meritus, quin Lausq; Decusque, *PA-*
TRONE
MAGNE, Tuum Nomen semper & usque decent.
Nomen, (*a*) quo gaudes, si versio *E*bræa notetur,
Donum, res clara est, indicat *hocce* *DEI*.
Inde *DEI* quoniam *Donum* es, donoque Parentis
Vtriusque tui per pia vota datus,

In

(*a*) Nom: est compos: è verb. Rad. נָתַן dedit, & Nom. DEI essent. אֵל

In miseros etiam confers tua dona, perinde
Ac si certares cum [mihi crede,] DEO.
O dignum tali Nomenque Omenque PATRONO!
Cum satis hoc claro Nomine & Omen habes.
Rara celebratur, scin'? Munificentia Virtus,
Omnibus elogiis non celebranda satis,
Ingratos propter minime, sed propter egenos,
Qveis fulget radiis, quos recreatque suis.
Et quos conservat, partem dum sinit habere
Hos in divitiis, quas dedit ipse DEVS.
MVNIFICVS quare quoque Thesaurarius alti
Numinis est, miseros, hocce monente, fovens.
O Titulum rarum! quo si quis jure vocatur,
Ejus laus omni carmine major erit.
Hæc, quæ perpaucis retuli, sin applico, sane
Ad TE cuncta viden'? *MAGNE PATRONE,* quadrant.
Assecla nam *Magni* es dicendus *Cæsaris*, (*b*) ingens
Quem laus (scripta probant,) ob benefacta manent.
Hicce recordatus, quod non benefecerat ulli,
Nempe die exacto, cum fuit orta quies,
Illico, sed tristis, clamare solebat: amici,
Trivimus injuste, perdidimusque diem!
Sed ne δὶς κράμβη θάνατος [*c*] TIBI, finio laudes,
Laudibus addendo vota precesque meas.
Quas, si suscipies, velut hactenus, auguror, hili
Zoilus & Sciolus mî levis instar erunt.
Macte VIR, ingenio felix & ore diserto,
GNOSPIADÆ Gentis perpetuumque Decus.
Grator de *Festo præclari Nominis hujus*,
Sæpeque quod videas, pectore & ore precor.
Sit sine nube dies præsens, expersque doloris,
Illum tranquillus munere pacis agas.
Pax totam vitam, pax alma domumque torumque
Castum, sed vacuum, Conjuge cingat, Io!

Deni-


(*b*) Tit. Vesp. vid. Sveton.
(*c*) Prov. ap. Græc. de reb. ingrat. sæpiusque repetendo obtrusis.

Denique TV vero post funera sera, beata
*Æ*ternæ pacis dote fruaris: *A*men!
Talia qui scribit, qui talia vota precatur,
*N*ulla TIBI potuit nobiliora dare.
*I*nterea veniam dabis his, quæ langvida Musa
Occinuit doctis auribus hæcce tuis.
*E*xpectans alio tulerint si tempore fata
TEque TVOque magis *Nomine* digna: Vale!

Nathanael Gottlieb Gnospius.

per anagr. o. in a. mut. & elis. p,

Halte an GOtt in Angst aus Lieb.



GEmeiniglich pflegt man in Angst zu GOtt zu treten/
Warumb? die Noth befiehlt's/ mit Seufftzen und mit Beten.
So macht' es ehemahls/ wie aus der Schrifft bekannt/
Der/ so sonst ward ein Mann nach GOttes Hertz genañt
Doch soll ein frommer Christ nicht nur an GOtt gedencken/
Und seinen Sinn alsdenn nur erst zu Jhm hinlencken/
Wenn es ihm übel geht: viel besser ists gethan/
Wenn man getrost zu Jhm ohn Creutz auch ruffen kan.
Jsts mir/ Hochwerther Herr/ vergoñt mich einzufinden/
Und an dem Nahmens-Tag mit Wünschen JHN zu bindẽ
So wär mein Hertzens-Wunsch (ich red' ohn Heucheley)
ER lebe jederzeit vergnügt und Kummer frey.
Solt' aber JHM ein Creutz auch ohngefehr entstehen/
(Davor der Himmel sey!) das schwer pflegt abzugehen/
So halte ER an GOtt aus Lieb in Angst und Pein/
Der wird/ eh' ERS vermeint/ JHM wieder gnädig seyn.

